Episcopus Posnaniensis

Posnaniensis Collegii Soc. Jesu: Vulnus a fatali mortis ascia Ecclesiae, Patriae, Familiae et Societati Jesu in D. Petro Tarlo, Ep. Posn. inflictum.

(1722)

VULNUS
A
FATALI MORTIS
ASCIA
Ecclesiæ, Patriæ, Familiæ:
& Societati JESU:
In
JLLUSTRISSIMO EXCELLMO
REVERENDISSIMO DOMINO
D. PETRO
COMITE a CZEKARZEWICE
TARŁO
DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ
EPISCOPO POSNANIENSI
ABBATE COMMENDATARIO
Paradisiensi
INFLICTUM
&
A mæstissimo Societatis JESU Collegio Posnaniensi
DEPLORATUM

POSNANIÆ
Typis Clari Collegii Societatis JESU.

GEMINA ASCIA
EXCELLENTISSIMÆ DOMUS TARŁONIÆ



Aſcia lunâ inſignita.

Scis utrâq; manu grandem cauſare dolorem
  Inde Tibi duplex ASCIA PRÆSUL ineſt.
Ex ferro, Cæloq; patet conflata Bipennis
  Plena polo, terram Bina dolore ferit.

DOLENTISSIMÆ

EXCELLENTISSIMÆ, ILLUSTRISSIMÆ, REVERENDISSIMÆ

COMITUM a CZEKARZEWICE

TARŁONUM

FAMILIÆ

MÆSTISSIMIS

PRINCIPIBUS, DUCIBUS, SENATORIBUS

CONSANGUINEIS

JLLUSTRISSIMIS, REVERENDISSIMIS

ADMINISTRATORI Capituloq;

ac

TOTI POSNANIENSIUM DIÆCESI:

AFFLICTISSIMIS

AMICIS & CLIENTIBUS

In perpetuum

Affectûs: Memoriæ: & Doloris

MONIMENTUM

Magnum Vulnus esse debet, quod magnæ MANUS ARMA inflixere.

Lips.

Multos oppressit Satrapas moles illa, in qua Samson cecidit.

UNIVERSALE VULNUS



ET jamne mori poteras Præſulum Sacerrime? heu dolor! O nimiùm credule dolor! imponis facilè & decipis, cùm nuntias amitti, quòd amatur. Illene mori poterat, in quo omnia ad immortalitatem conſpirârunt? Illene? quem Heroùm Æternitas genuiſſe: Beatitudo ablactaſſe: neſcia fati Virtus aluiſſe credebatur: illene mori poterat? illene?

Ore natant, tristesq́; cadunt in verba lituræ
Discordesq́; modos, & singultantia verba
Suppeditat, mæroq́; rapit.

Ille Mortalium *Excellentissime* obiisti, ut mortis Tuæ fama fidem aurium excederet, nisi olim, cùm à nobis ábires, jam lachrymæ ampliùs non videndum prophetâssent; nunc universorum Dolor, instar prodigii magnus, famam esse non falsam probet. Decipinè tam Sanctus Ecclesiarum; tam Universalis Patriæ: tam verus singulorum sensus poterit?

Flent Magni, parviq́; simul vis magna doloris
Magnos, vis parvos magna doloris habet.
Hinc nullum discrimen inest: labor unius Astri
Sorte pari cunctis esse Cometa solet.

19. Novembr. proximè ante Adventûs ferias moritur.

Proximè ante ferias, cùm perituri ruinas mundi Ecclesiá reciprocat, Magnum Regni *Columen* cecidisti: O jacturæ? o ruinæ magnitudinem? Non infra totius orbis damnum Casus iste debet recenseri, nec aliter plorandus es Vir Maxime, quàm si Basis rueret, quâ terrarum moles sustentatur. Inde citra fucum (mæror enim colores non habet, niger est) citra fucum assentiri ex communi lugentium sensu cogor: fatales mundi præivisti calendas morte tua: sic decrevere superi: ut ad universos funeris tanti luctus pertineat, & immensæ Asciæ ictus cunctos feriat.

VULNUS ECCLESIÆ

Quo die extinctus, in Breviario incipit liber Amos.

DIem illam, quæ extinctum PRÆSVLEM nostrum aperuit, magnus in Pastoribus Thecué Pastor Prophetes Amos imbre miscuit, & quæstibus maculavit. *Luxerunt* (inquit) *Speciosa Pastorum.* O verè speciosum Ecclesiarum Pastorem! O formam Gregis, & Diæcesis pulchritudinem lacrymandam!

Nul-

Nulla Antistes vigilantissime ruga Curas Tibi Pastores deformavit, nec æstus violentior obfuscavit. Laudaverim filios tonitrui alios, sidera tonantia laudaverim, quæ gemmas pariant: etiam serenus cæli aspectus corrigit, dum exerrant viatores; etiam mitior fax prælucet, ad valvas ovilium, & manuducit: efficaciusq; influunt astra, & inclinant, dum fulmine non turbata rutilant. Timuit Hæresis & adoravit PETRI hujus gladium, quamvis semivaginâ conderetur. Formidandum ASCIA Herculem explicuit, licèt ictum duntaxat minitata.

- - - - Hic majestate Serena
Jura dedit populis, submittendoq; modestè
Fortunæ vexilla suæ, tamen hostibus atrox
Dissimulatus Honor patuit, colloq; potentum
Imposuit mansveta jugum, non langvida virtus.

Tutelaris sui conditionem secutus est, PETRI PETRUS, Apostoli Co-Apostolus: Piscator etiam haberi voluit,

Et nemo pisces terrificando capit,

Præsertim si balenæ occurrant capiendæ, quæ citius návi facessent periculum, occidiq; aptiores, quàm ut in rete irritante remo compellantur. Satis Apostolico muneri respondisti Antistes zelosissime, si Pastoris officium non *Venatoris* sit impletum. Nec dum cornu inflaveras, ut dormitantes exagitares lupos: Quanquam audiit nuper major Polonia; Generalia Provinciæ Comitia audivere: quale classicum in Canonica Tua epistola insonuit, ut Hæresis à Legatorum dignitate, publicisq; Regni negotiis arceretur: quod ipsum Consangvineis Palatinatibus pæne solꝰ persvasisti. Plura exequendi tempus intempestum oberat: ne dum lupum hunc & alterum a dextro nemore persequi intenderes, à

sini-

ſiniſtro milleni in ovilis exitiũ erumperẽt: & Tu prudentiſſimè prævideras erupturos. An non ille pariter BONVS, quin PaſtorumOptimus eminuit? qui unam duntaxat erraticam ovem humero detulit, quamvis foveas, & mapalia luporum non legatur excuſſiſſe. Succenſendumne & Cæleſti Agricolæ? qui ob periculum tritici, incrementum etiam indulſit zizaniis, donec favorabili cælorum aſpectu ad falcem matureſcerent, focoq; áptiorá redderentur in radice arefactá. Sufficit Tibi ad præmium O Divis ad. dite PRÆSVL? etiamſi ex ſolis nonniſi ovibus victimas Numini dedicaveris. Auguſtiſſimus ille ſufficit Honori Tuo Thronus & ara, quamvis hanc pellibus duntaxat bidentium ornaveris, quæ pompa Divæ Majeſtati etiam ſuffecerat, non vulpium aut luporum exuviis indueris. Obmuteſce igitur Livor garrule! Biennio non integro Poſnanienſe Pedum geſſit PRÆSVL *Optatiſſimus* ingentium Moliminum (quæ noveram) initia ſatis erant, quæ DEVS coronaret. Forte nec Baptiſtes diutius ſeſe Prophetam in Jordane propinavit: nec ſuus ille divinior Agnus Paſtorem Baptiſtam longioribus curis exhibuit, & tamen Magnus PASTOR Baptiſtes, Propheta Magnus. Tempus Pontificatus TARŁONII, vix tempus extitit, quo apparatus contra Hæreſes bellicus congruè poſſet colligi: unam duntaxat habuit æſtatem integram, in qua ædificando DEI Templo Fundamenta locarentur, ne ſubita tumultuario opere ſurgeret fabrica, adeoq; non diuturna.

Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum Exod: 36.

Ecce Agnus DEI Luc:

Cor ego illud immenſi: capax cæli Palatium.
Cor: Auguſtum divinitatis Sacrarium:
Caſtiſſimæ ſapientiæ muſæum:
Apoſtolicæ fortitudinis Theatrum,
Cæleſtium Amorum Cælum.

Cor Præſulis poſt mortem aridum ſine ulla ſangvinis gutta repertum.

Cor

Cor illud in æternum pignus Sacerrimæ Diæcesi offero: *Aridum quidem, & exsangve:*

Vide excors Livor!
Apostolica Ecclesiarum solicitudo:
Erupturi Zeli flagrantissimus Ardor:
Pastoralium Curarum interclusa Pentecoste
Cor TARŁONIUM absumpsere,
O Cor Theandrico simillimum
Et Christo confixum Cruci,

Hasta latus reserat, nec sangvis, & unda remansit
Hic Cor Amor læsit, nec quoque gutta manet.

Unus Militũ aperuit latus ejus, exivit sanguis & unda. Luc:

Amores igitur Præsulis Tui vide Augusta Diæcesis! Si placet, cum Thoma in corde ignibus exhausto manu palpa: nihil sangvinis in illo reservavit, quod in Tuarum purpuram genarum non profuderit. Nemo pectoris illud cruentum sibi aut cruentatum arbitretur: tali sangvine quandoque ebulliit, quali aurora cruentat Cælum cum radiis ortam diem vulnerat: & phenomenon istud ad meridiem non perennat.

Abiit Antistes desideratissimus ex humanis

-- -- *O utinam Parcarum fila tenerem,*
Extendamque colos, & tristia fata vetarem?

Abiit ex humanis proximè, antequam templa & aræ mutent ornamenta. Verum Diæcesis Sponsum obiisse nemo dubitet, & verum PRÆSVLEM: tota Ecclesia violaceo colore induitur, quatenus Sponsam sese, extincto etiam Sponso, viduamque Præsuleo dolore ictam per vestimentum testaretur. O dolorum Adventum! O ferias ferientes! Concinet illa ardentissimum illud RORATE & millies lacrymis irrorabitur: Tuque PRÆSVL Optatissime vix aliud Tui reliquisti Desiderium

Ante Adventum obiit, in quo violaceum colorem Ecclesiæ induunt.

rium, quàm quod in limbo Diviniores Vmbras lacerabat, ut quem jam habent, restituant & Nubes pluant Justum ad Ecclesiæ Tuo luctu sauciæ Refrigerium.

VULNUS PATRIÆ.

Cùm Generalia Regni Comitia Litvaniam, universamq; Poloniam in Varsaviensi urbe retinerent:

(O sævæ nimiùm, gravesque Parcæ!
Cùr plus ardua casibus rotatis?
Cur sæva vice magna non senescunt?)

ereptus est Regno Senator sapientissimus, ne quis ambigat ad totiùs Reipublicæ damnum, & vulnus, pertinere jacturam TANTI VIRI, & ruinam. Totum Poloniæ Cælum Fati Tui nox maculavit PROCERVM ILLVSTRISSIME. Sensit Regni Sol Tuam ingentem VMBRAM, tuâque morte expalluit Regalis purpura, patuitque Dolor Coronatus, cum Throni Fulcrum cecidisses. Quid minora Sole sidera in deliquio recenseam? MAGNE CINIS in omnium Luminum, stellarumque omnium oculos incidisti, ut ploreris ab omnibus, qui omnium Lux, & Amor oculorum micuisti. O nubem! O diluvium palpebrarum! sic uberrimo censu illis diffluunt, ut possit tristissima TARŁONIS Imago, solis etiam depingi lacrymis, quas Purpuræ, & discolor Civium Fortuna eliquat. Insalutato quidem SERENISSIMO REGE, insalutata recessisti Rep: & amicis; nempe in morte non humanus, quod nulla superesset jam Humanitas, quam vivus Regi, Patriæ, & amicis non exhibueris. Avara Mors furto Gemmam Regni noctu sustulit: aliás si palam advenisset, universorum precibus, & victimis Numen

Erunt signa in sole, luna, stellis.

Subita morte noctu extinctus.

men flecteretur, patuissentque mille Curtii, qui pro Tanto Capite proprium devovissent, & DEVS ad acceptandum moveretur.

Rebus vestris invigilate Summi Proceres:
Magnæ moles in aëris alta quiete ruunt:
Potentissimi Monocerotes, cùm dormiunt capiuntur:
Cùm sopitur mare, brevì pòst ab Euro
sus deque rapitur:
Cùm in vagina formidandus decumbit Gladius,
rubigine exeditur:
Cùm Cedrus jacuit, jam vixit,
nec ampliùs revirescet.

Heu miseri! quibus, unde dies suprema, quis ævi
Exitus, incertum est: quibus instat fulmen ab astris,
Et nubes fera fata tegit.

Expedit Sarcinas tempestive colligi: Sæpe non per internuntios DEVS evocat; nec authoritas meretur moram, quin statim exeas. Supremum Iudicem magni exhorrescite! etiam cum citat, rapit: & cùm potentissimus est Reus insperatò comprehenditur: noctu ad curiam deducitur. Sed hæc aliis.

Tu non imparatus ad tubam miles processisti PRÆSVLVM Sacerrime: imò non ad tubam, sed ad stipendium certus præmii ex tentorio miles abiisti, poteras non monitus abiisse. Quanquam Vatem Te Tui fati meminimus: pro dolor? nigras opiniones elidere svevimus: etiam testes futuri mali lacrymas averso vultu risimus: sed heu! ne collacrymaremur vivo, ad hoc exitium integra oculorum eluvies servabatur. Vltimas confecisti tabulas, cum Viator ires Varsaviam, illic futurus Comprehensor: remisisti easdem, ac si nunquam rediturus Posnaniam: vespere proximo Tui Codicilli Præsidem compellasti, & osculatus es: igitur subita

Subita sed non improvisa morte sublatus.

Obsigillari jusserat supellectilem.

subita mors, quia jūctâ jā rhedâ & obsigillata supellectile paratum reperit, ad discedendum compulit. Quid si non in longinquam Regionem Te iter suscepisse asseruero? assveveras jam pridem cælo: Familiari consortio, Divis pænè domesticus: præviis ergo apparatibus & longis, brevè iter & in propriam, ac vicinam Domum, & ad familiares amicos non indiguit. Quid si Filius ad Patrem vocabaris? Subitò obediens citrà morosæ pompæ molimina paruisti: tunc acceptissimus DEO Samuel, cùm vel seminudus ex lecto ad vocem Domini promptissimus. Denique maturum concuti non debet pomum, ultro cadit. Dormientem Antistitem nostrum Mors occupavit, quia hæc terribilium omnium terribilissimum creditur & sentitur: ut impavidus ad superos pergeret, Larvam illam cæterosq; hostes non vidit, cùm dormivit. Amorem Lethi condivit dulcis sopor: Angelorumq; manibus ferri debuit Magnus ille Satrapa, dum sopitus ceu ad propria deportatus: requie certiùs æterna fruiturus, quam homo quietissimus, & nusquam turbidus in lectulo inchoavit. Non ille modo pallidus, non febri maculosus, non tabo lividus, integrâ oris purpurâ; servata frontis Majestate, superstite corporis formâ, immortalitatem superinduit, quia rectà à Regni Comitiis ad Divorum ivit Concilium seipso ornatissimus. Nec multas illic corporis gloriosi dotes exiget, quia secum integras detulit. Suscepere hunc læti Cælites: D. Petrus clientem Petrum ex non mutato per febres agnovit vultu, & valvas aperuit: Subitum florem adeòque gratiorem osculati sunt cives ætherei: Tuque jam Antistes Sacerrime magnam Tuam Beatitudinem vix comprehendis, quæ momentô accidit: mirarisq; Te & stupes tam inopinatô Beatissimum: nos gravius

Dormiens extingvitur.

vius

vius dolemus, contra vota & ſpes amiſſum maximas. Equidem ſi ægrotâſſes, ſi gemuiſſes, ſi langvore decubuiſſes; ægrotâſſet Tecum Patria uno Tecum langvore laborâſſent Amici, aggemuiſſent conſangvinei Principes, per partesque diviſus Dolor paulatim creſceret, & ſenſim læderet; nunc Totus effractâ veluti portâ in ſingulos violentus irruit, pænè opprimit. Sed

Quid juvat immites Parcas urgere querelis?
Irrevocanda nequit flens revocare mala.

Satis vixiſti Patriæ SENATOR Excellentiſsime: ex Tui fati loco patuit: Dignus eras ut Tota Reſp: Funus Tuum efferret humero, ut Patris Patriæ, univerſi Ordinum Status, ut Magno Libertatis STATORI parentarent: Polonia & Litvania ut proprio & univerſali Reipublicæ Parocho juſta ſolveret.

Tempore Generalium Comitiorũ extingvitur Varſaviæ.

VULNUS EXCELLENTISSIMÆ TARŁONUM FAMILIÆ.

AUGUSTISSIMAM DOMUS VESTRÆ FRONTEM mors rapuit CELSISSIMI PRINCIPES, REVERENDISSIMI PRÆSULES, ILLUSTRISSIMI PALATINI, EXCELLENTISSIMI REIP: MINISTRI, PERILLUSTRES CAPITANEI & tam Curiæ, quàm Palatinatuum Provinciarumque Summi PROCERES. Non citat vos ad luctum nominatim funebris pagina, ne recentem plagam pungat calamus & dolorem geminet: Vix eti-

am

am in tanta mæroris nocte triſtis Orator poteſt diſcernere, cùm omnes demiſſa in vultus caligo abſcondat, & niger ſitus non diſcriminet. In laudes etiam amiſsi tanti Viri non abeo, ne immanitatem Veſtri damni exaggerem, & ingratus obſtrepam: equidem

Cùm jam egomet cantus, & verba medentia ſævus
Conſero, vos planctus, lamentaque fortia vultis,
Odiſtisque chelim, ſurdaque receditis aure.

Sub tempus vacantium Inſularum moritur.

Auxerat ille honoribus geſtis Antiquiſsimam inter Principes Familias Familiam, auxiſſet luculentiùs, ſed maturus Cæleſti præmio, expectare Majores Infulas noluit, qui jam meruerat apud cælites feliciùs coronari. Optabant quidem iſtud Caput ſuſpenſæ ad interim Tyaræ: apprecabamur ſinguli, futuras jurabamus, nemo niſi male invidus dandas non ſperabat. Licèt autem majora alii jactare poſſunt merita, ego non diffiteor: At ſi REX SERENISSIME totam interroges Remp. exquiras Provinciarum ſententiam: Univerſæ Nobilitatis vota ſuſcipias: Urbium, Pagorumque audias ſuſpiria, uno omnium ſuffragio communique Gentium conſenſu PETRUS TARŁO Regiæ beneficentiæ gratiam merebatur. Jam Majeſtatem Veſtram REGVM Potentiſsime, Cinis hic abſolvit curâ, liberat diſcrimine, pro collatiſque faſcibus æternitatem nunc obligat, & ut alios magis throno obliges, ultro ab ambitu recedit concurrentium Infularum, ſufficientiſsimè Cælo Candidatus.

Stemma Rev: Capituli Poſnanienſis D. Petrus.

Fortè quidem TARŁONIÆ Domui non ſufficit Poſnanienſi duntaxat vittâ TARŁONEM coronatum expreſſiſſe: Decreta Numinum adorate Magni Proceres, favorem ſuſpicite: Divus Reverendiſsimi Capituli PETRVS, homonymum ſuum PE-

PETRVM sic adamavit, ut potius ad Cælos illum, quàm ad aliam Diæcesim transferri maluerit. Vos quoque REVERENDISSIMI DIÆCESIS INTER-REGES, affectum amabilissimi PRÆSULIS intelligite: mutare Pedum noluit, ut *Æternus Vestri Senatus Rex: æternum Ingentium Membrorum Caput: æternus Posnaniensis Cleri & Majoris Poloniæ* Amor haberetur.

Sed ad leniendos propero, quos gravius Propriæ Asciæ ictus perculit Fratres PRÆSVLIS Illustrissimos Joannem & Michäëlem Palatinidas Smolenscenses: quia mulcere verum, est irritare dolorem: Credite

Vobis Diva Bipennis
Rapta est æthereas ædificare Domos.

Per Illustrissimam OPALENIORUM Cōsangvinitatem PRÆSVL Clementissime

Illustr: Opaleniæ Domus Stēma Navis.

Jam Tua securos portus, blandamque quietem
Intravit non quassa Ratis, sic perge: nec unquam
Fatales hanc in puppem demitte procellas.

Vniversos, quorum profundior in alto Sangvine Dolor est, & fibras intimius penetrat, universos, (inquam) Casus soletur iste: TARŁO VESTER in CÆLVM cecidit: nec clausum reperire poterat, quia Gigantæa Vestra Ascia in reserati signum Cæli, Lunam pro æterno fert spolio & mercede.

VULNUS SOCIETATIS JESU.

Magnis splendoribus optat
Misceri scintilla minor

quæ Tuis Magne PRÆSVL Cineribus æternam Ignatii flammam conservabit.

vabit. Natum Gloriæ noſtriſque adorandum obſequiis, laboribus coronandum, elogiis celebrandum amiſimus Pontificem

Hoc mandante vel Indos,
Japponaque extremum, Bagadosq́, Chilosq́ receſſus
Læta Cohors peteret, fera per diſcrimina nutus
Expletura Petri, modò teſtatura periclis
Quam tacito clauſit, retinetq́ in pectore flammam.

Poſnanienſe Athenæum VIRVM hunc enutrivit: Magni de numero Prophetarum Patres futurum in Iuvene venerabantur Karnkovium, talemque herba ſpem porrigebat, ſed quia ad meſſem Honorum non pervenit, in Cæli rejicimus inclementiam, non in ſementis genium. Collegium Romanum fecerat omnibus literis expolitum Præſulem: horum ille,

Laudavit quos Roma Viros prægreſſus honores
Magnarum Juvenis retulit primordia laudum.

O ſi PATRIA audiſſet in Senatu Conſultantem! Vix aliqua Tanti Senatoris animum arena explicuit, vix Divinos mentis receſſus perimens Regni negotium aperuit, & mors clauſit.

Ingenium illi
Acre & ſubitum;
Mite & profundum;
Illime & celerrimum:
In diſtans oculatum,
Et futuris proximum:
Non langvidum ſed manſvetum:
Non rebus novandis idoneum,
Sed conſervandis efficax:
Non turbidum ſed quietum.

Diu

Diu Senatus illi defuit, non ille Senatui:
Habuit Resp. aures ut audiret:
Ille Os aureum quod loqueretur:
Sola longo tempore Cathedra defuit
Vnde foret perorandum.

Infinita ſunt quæ Societas IESV in Te palpavit admiranda PRÆSVLVM Maxime. Labor ſæculorum opus eſt ut in Viri per ſæcula deſiderandi ſudet encomium. *Umbram* hanc *Illuſtrem* patere. Diviſq; Religionum addite Patriarchis Paradiſum Tuum poſſide, ac Varſavienſes aras occupa, quas Tua manu, potiùsque Virtutibus conſecrâſti. Demum credito:

Tutori Pupilla:
Benefactori Alumna
Patri Orphana
Amico Ancilla
Societas IESV

perpetuis litabit victimis, & vel ob Tui etiam fati memoriam, nunquam pullam veſtem exuet.

